



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 108. Poloniae Rex Lutetiae Parisiorum ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul XVI.  
A C. 1573.

ad fores excepti, qui a Guisio Magno palatii Magistro ad regium thronum deducuntur, ubi depositum erat decretum arcæ argenteæ inclusum: porro ibi Posnaniensis Episcopus pauca præfatus de Polonorum erga Regem cultu, ac studio, ab eo demisse petiit, velletne, ut Senatus decretum, quo ejus Frater Henricus Rex Poloniæ dictus esset, ipsi coram afferretur, recitareturque, cum ergo responsum esset, id sibi placere, quantocius Sanockiensis Castellanus hoc Senatus consultum recitabat: hoc facto Henricus Rex actis Deo gratis coram Regni sui Ordinibus, ipsisque Legatis testabatur, quod decretum hoc honorificentissimum sibi gratissimum simul, ac jucundissimum esset. Postea Carolus IX. fratrem suum amplexus, ac deosculatus est, nec minus Franciscus frater, & Henricus Navarrorum Rex Sororius ad osculum pariter admissi: ceteri vero Principes, sed dispari dignatione, novum Regem venerati sunt: legatis quoque Polonis Regis sui dexteram deosculari datum est, ac demum tota hæc solennitas finem habuit.

## §. CVIII.

*Poloniæ Rex Lutetiam Parisiorum ingressus.*

*Hist. Eccles. Tom. XLIX. M Alte\**

Sæcul. XVI.  
A.C. 1573.

*Thuan. l. c.*

Alterâ die Henricus Rex cum ingenti pompa Parisios ingrediebatur; nam erigebantur in omnibus Urbis compitis arcus triumphales, quæ Statuis, ac picturis, variisque inscriptionibus tam ligato, quam soluto idiomate in Polonorum laudem concinnatis ornatae erant: insuper plura spargebantur carmina de iis elucubrata rebus, quæ hanc solemnitatem præcipue concernebant: Vespere autem Regina Mater Senatus Oratores in suo Palatio, quod a turriculis nomen habet, magnifico excepit convivio: demum vero Poloni splendidis muneribus aucti, atque in eorum gratiam genialia festa, equestres ad trahendum annulum decursiones, ludicra certamina, celebres choreæ, & ceteræ omnes, quæ excogitari poterant, festivæ jucunditates instituebantur.

§. CIX.

*Rambulietus a Rege in Poloniam missus.*

*Thuan. l. c.*

Priusquam Poloni Oratores e Galliis abibant, bene visum est, ut Joannes Sborovius in Poloniam præmitteretur, qui Senatum certiorum faceret de successu legationis, & de prompta Regis profectioe, necnon de tempore adventus sui in Poloniam, ut Regni hujus Vasalli ad inaugurationem edicto voca-